



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

I. Scholia in Constitutionem Concilii Lateranensis. II. Conservatorias
Ecclesiasticas quaest. 130. III. Conservatorum Laicorum materiam,
Tribunali viginti duûm virum Leod. adoptatam comprehendens

**Chokier, Érasme de
Coloniae Agr., 1684**

Quæstio 73. Quid si conservatores quempiam nulliter excommunicent,
qualiter ita excommunicati se potuerunt tueri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61908)

lecta Apost. Ad Barb. l. cum lex. num. 6. ff. de fideiuss. Attamen Ioannes Gallemart. loco præcedente quæstione citata contrarium censuit. In hæc verba.

Excommunicatio lata à iudice Ecclesiastico, priusquam legitime constet de impedimento vel perturbationibus ob quas non potest devenire propria auctoritate ad executionem realem vel personalem est valida, & qui tali excommunicatione ligatus esset, indiget absolutione, debent tamen ordinarii curare ut in excommunicationibus proferendis observentur decreta Concilii Tridentini, qua de re plenius infra quæst. 79.

QUÆSTIO LXXIII.

Quid si conservatores quempiam nulliter excommunicent, qualiter ita excommunicati se poterunt tueri.

SUMMARIUM.

1. Nulliter aut inique excommunicatus quod remedium debeat adhibere.
2. Quod non est, non oportet timere.
3. Scandalum timendum est.
4. Publicanda est causa ob quam excommunicatio non valet.

Respondeo, quando excommunicatio non tenet, excommunicatus debet publicare causas quare non sit excommunicatus, & tunc non est amplius scandalum pusillorum sed Pharisæorum, *Silvester in summa verb. excommunicatio 2. casu 1. vers. dicit autem Iacobus à Capua. penitentiarius major. in verb. Neapolitan. de casibus conscientie, lib. 4. cap. 3. num. 13. id ipsum tradit Navarrus, in Rep. cap. cum contingat Remed. 2. num. 4. de rescriptis.* In hæc verba.

Excommunicatus nulliter & denunciatus publice, non tenetur abstinere à divinis, neque ab alia hominum legitima communicatione, modo nullitatis causa publicata fuerit secundum *Palud. in dist. 18. q. 1.* In hæc verba. Qui nulliter excommunicatus denuntiatur, ita ex adverso ipse publicet causam, quando sententia non valet, puta appellationem vel aliam iustam causam, quo facto amplius non est scandalum pusillorum sed Pharisæorum, unde est contemnendum, quæ ipsamet verba retulit & probat *Beatus Antonius in cap. 73. tit. 24. part. 3. in spec. item quod excommunicatio lata in eum qui iure contradicit virtute clausulæ contraditores, non sit timenda neque curanda, tradunt Innoc. Oltra. Archid. Io. Andr. Doms*

Dominic. & alii quos citavimus, in tertia causa nullitatis quibus addo *Cardin. Alex. in cap. 1. 11. quest. 3. ubi Navarrus*. Idipsum diligentius & acutius *Gabriel, in 4. distinct. 18. quest. 2. col. 11. quem Navar. cap. cum contingat rem. 2. num. 26. de rescriptis*. excommunicatio fuerit nulla ob defectum jurisdictionis super excommunicatum, simpliciter vel in nullo casu, quo fertur excommunicatio, vel quia fertur post appellationem legitime interpositam, vel ob alium defectum propter quem ipso jure est irrita, tunc non oportet eam timere nec pro excommunicato gerere, vitando communionem Sacramentorum, & hominum, quoniam quod non est, non oportet timere, sed dum sententia est nulla, jam non est excommunicatio, neque quo ad Deum, neque quo ad Ecclesiam; ergo non est timenda, quo ad Deum, quia nulla culpa, nec quo ad Ecclesiam quidem secundum veritatem, nullam sententiam juris incurrit, qui sententiam quæ nulla est non custodit timenda tamen est non sententia, sed scandalum populi vulgaris, nescientis sententiam esse nullam, unde si aliquis publice excommunicatur & denuntiatur nulliter, ex adverso publice sententia, & si aliquis tunc propter quam sententia est irrita, quo facto non pareat sufficienter ipse causam scandalizatur, non est scandalum pusillorum secundum reg. Christi Marth. 15. commendandum, attamen non tenetur eam servare in occulto ante scandalizationem, sed neque in occulto neque in publico coram sapientibus, quibus nota est nullitas sententia, tenetur eam observare.

QUESTIO LXXIV.

Conservatores an possint multas pecuniarias sibi convertere.

SUMMARIUM.

1. *Pœna fori Ecclesiastici sunt piis locis applicanda.*
2. *Consuetudo contraria non valet.*
3. *Limita ubi hic remissive.*

Sunt qui existimant non posse, pœnae enim fori Ecclesiastici piis locis sunt applicanda; nec valet consuetudo contraria per quam pars pœnarum applicatur Vicario vel Camera Episcopali etiam in minima parte, ita *Joannes Gallemart. in interpretationibus Sacrae cong. ad Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. de Resor. num. 10.*

Quod